

in deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu, et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet. Sin certe eveniet, nulla fortuna est. Est autem Fortuna. Rerum igitur fortuitarum nulla est praesensio. Aut si negas esse fortunam, et omnia, quae fiunt, quaeque futura sunt, ex omni aeternitate definita dicis esse fataliter; muta definitionem divinationis, quam dicebas praesensionem esse rerum fortuitarum. Si enim nihil fieri potest, nihil accidere, nihil evenire, nisi quod ab omni aeternitate certum fuerit esse futurum rato tempore: quae potest esse fortuna? qua sublata, qui locus est divinationi? quae a te fortuitarum rerum est dicta praesensio. Quamquam dicebas, omnia quae fierent, futurave essent, fato contineri. Anile sane, et plenum superstitionis fati nomen ipsum. Sed tamen apud Stoicos de isto fato multa dicuntur, de quo alias: nunc quod necesse est.

Si omnia fato: quid mihi divinatio prodest? Quod enim is, qui divinat, praedicit, id vero futurum est: ut ne illud quidem sciam, quale sit, quod Deiotarum, familiarem nostrum et necessarium, ex itinere aquila revocavit. Qui nisi revertisset, in eo conclavi ei cubandum fuisset, quod proxima nocte corrui. Ruina igitur oppressus esset. At id neque, si fatum fuerat, effugisset: nec, si non fuerat, in eum casum incidisset. Quid ergo me adjuvat divinatio? aut quid est, quod me moneant aut sortes, aut exta, aut ulla praedictio? Si enim fatum fuit, classes populi Romani bello Punico primo, alteram naufragio, alteram a Poenis depressam interire: etiamsi tripudium solistimum pulli fecissent, L. Junio et P. Clodio consulibus, classes tamen interissent. Sin, quum auspiciis obtemperatum esset, interiturae classes non fuerunt, non interierunt fato. Vultis autem omnia fato. Nulla igitur est divinatio. Quod si fatum fuit, bello Punico secundo exercitum populi Romani ad lacum Thrasimenum interire: num id vitari potuit, si Flaminius consul iis signis, iisque auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, paruisset? (Certe potuit). Aut igitur non fato